



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xiii. De Torniaminibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

Vnde Presbyter qui causam abortui præbuerit, si iam viuificatus erat conceptus, irregularis esto, aliàs ne esto. 20. Sicne

Item si presbyter intuitu disciplinæ puerum in capite percusserit, qui post paucos dies ex ipsa percussione vel ob eam exspirasset: officio sacerdotali exauthorator. 7. Presbyterum.

Sed & si dubium erit, an ex ipsa percussione decesserit: in dubio tutius elegitor. idcirco presbyter in sacris ordinibus ne ministrato. cum pœnituerit minoribus utitur. Sin aliunde mors acciderit: & in sacerdotio ut prius ministrato. 12. Ad audiētiam.

Si ergo discerni poterit sacerdotem vulnus lethale non infixisse, sed tale de quo quis, si aliorum non fuissent subsequuta volnera, non interiisset, & occidendi voluntatem non haberit: in sacerdotio ministrato. Si discerni non poterit: in dubio pro homicida habetor. Quamuis autem vim vi repellere omni iure liceat: id tamen cum moderamine incolpatæ tutelæ ad propulsandam iniuriam, non ad vindictam capiendam intellegitor. 18. Significasti.

Denique si clericus etiam contra infideles pugnando quempiam percussit, ipsumque de interfectione conscientia remordebit: altaris ministerio abstineto. 24. Petitione.

De Torniaminibus. Tit. 13.

Torniamina ne sunt. in his qui vulneratus erit, ei pœnitētia ne negator. at si morietur: ecclesiastica sepultura careto. 1. Felicis.

De cler. Sagit. & Adult. &c.

2. *Ad
audientiā*

Hæc ita demum, si huc animo pugnandi accessit, obseruantor. Sin alterius rei ergo, causa fortè debita recipiundi (maximè si Eucharistiæ & oleum suscepit) secus esto.

De Clericis pugnantis in duello. Tit. 14.

1. *Porro.*

CLERICVS monachus, siue duellum obtrahit, siue suscepit, victor, victusve deponitor. Si tamen mors, membrorumve mutilatio sequuta non fiet: episcopus cum eo dispensare valet.

2. *Henricus.*

Clericus autem nedum si per se ipse occidat, sed & si pugilem supposuerit qui aduersarium interficiat (ni cum eo circa habendum beneficium dispensabitur) irregularis esto. Consuetudo regionis ne excusato. Homicidium enim factum, præcepto, consilio, defensione perpetrari intellegitor.

De Sagittariis. Tit. 15.

1. *Artem*

ARS sagittariorum aduersus catholicos sub pœna anathematis ne exercetor.

De Adulteriis, & Stupro. Tit. 16.

De adulteriis.

4. *Mari-
tis.*

MARITO etiam ex suspitione vxorem ad-
cusare licet. Is enim plus cæteris de adul-
terio & adcusare & defendere valet.

Quod si